

QK. 787

v. Brandenstein

Za

3535

EPITHALAMION

IN HONOREM NV-
PTIARVM ANTIQVA VIRTV-

*te, Nobilitate, doctrina, & eruditione præ-
stantis, D. SIGISMVNDI à BRANDEN-
STEIN in Neydeck &c. Et Nobilissima & castissi-
ma virginis MAGDALENÆ, filie Nobilissimi
viri, virtute, sapientia & fortitudine præstantis D.
BERNHARDI ab HEINITZ in Rötzs-
chuitz &c fauste gratulationis & grati-
tudinis ergo scriptum*

à

SALOMONE LOR-
manno Uydraënsi.



VVitebergæ typis Clementis Schleich.

ANNO M D. LXXI.

(x200 7569)

*Ornatissim
doctissimo*



EPITHALA
MION.



*D*octus Apollonides, nec opes, nec regna,
nec aurum,
Tanta hominum generi gaudia
ferre, refert:
Quanta det uxoris coniunctio blanda
viriq̄,
In quibus est constans, nec simulatus amor.
Nec falsum est: nam quid vel opes, vel regna, vel aurum?
Quid gemmae profunt? quid bona cuncta iuuant?
Si tibi non uxor pia, pulchra, sit atq̄, modesta.
Qua pellat vitæ tedia longa tua.
Illustretq̄, domum, cæli seu lumina noctem,
Et pariter cunctas contueatur opes.
Hæc superat gemmas, Onyches, viridesq̄, Smaragdos,
Hæc fluxas vincit totius orbis opes.
Gaudia in hac una consistunt cuncta mariti,
Et quæcunq̄, facit, nil nisi grata facit.
Fallor? an hoc animo voluens iterumq̄, reuolvens,
Inclyte, Brandstenia, flos, Sigemunde, domus.
Ut comitem vitæ tibi det, sociamq̄, laborum,
Orabas summum, nocte dieq̄, DEVM?
En audax votum: Deus attamen audyt istud,
Et dixit: votis mox potiere tuis.
Largiar uxorem forma & virtute celebrem,
Quam pudor, & pietas ornat, & alma fides.
Nec mora: mox terras oculos detorsit in omnes,
Ut sociam thalamo quæreret ipse tuo.
Ut verò ante alias vidit longè ire puellas,
Magdalin, Heinicio de genitore satam.

Magdalin

Magdalin occulto succendens igne medullas,
Hæc, ait, in thalamos ibit eatq; tuos.
Nondum igitur visa tibi virgine, de super imis
Ossibus implicito pectus amore calet.
Röttschia sola placet, quia Röttschia possidet una,
Vnde tibi sponsam deligat vnus amor.
Ergo magnanimi conscendis terga Caballi,
Heinicieq; subis limina clara domus.
Quem spectans virgo, mentem haud satiare videndo,
Atq; oculos potuit vix remouere suos.
Iam placuit gestus, iam lingua diserta loquentis,
Iam prisca occurrit nobilitatis honos.
Hectoriusq; animus, cæliq; ad sidera vultus
Erectus, morum deniq; dulce decus.
Attonito donec vocem de pectore rumpens,
Suauiloquo tales protulit ore sonos:
Quisquis es, vnde, hospes, venias, ediffere nobis,
Vnde genus ducas? quæ tibi causa vie?
Cui tu: forte tuas si fando venit ad aures
Brandstenia nomen, Virgo pudica, domus.
Hæc ego me, fateor, (generis neq; pænitet) ortum,
Pro quo non optem ditia sceptrâ Midæ.
Sed libet & vestras quid adire coegerit ades,
Nosse? tui hoc vnus, virgo, coëgit amor.
Quarè age te vinclo cuiquam sociare iugali
Si fixum est: nostri sis, rogo, Sponsa tori.
Hæc ubi fatus eras: audito nomine Sponsæ
Conticuit, totis erubuitq; genus
Donec victa tui respondit amore, simulq;
Se fore promisit, tempus in omne, tuam.
Ergo pater materq; piæ laudabile Nata
Propositum, assensu firmat vterq; suo.

U ij

Et

Et iam multorum lux optatissima votis
Exoritur, thalami gaudia grata ferens.
Splendida adornantur magno conuiuia sumtu,
Nobilium pulcer confluit atq; chorus.
Adducunt Sponsum, tantus quem splendor honesti
Euehit, & tantus nobilitatis honos.
Singula pro meritis ut si comprehendere vellem,
Promtius enumerem quot mare voluat aquas.
Sive etenim spectet patrium quis stemma, videbit
Hunc de Brandstena ducere stirpe genus.
Quae sic innumeros stetit inculcata per annos,
Virtutum ut formam hinc discere quisq; queat.
Sive etiam matris: minus haud generosus ab illo est,
Miliana quis non nomina gentis amat?
Quae memori semper reputata est carmine digna,
Et clara tangit sidera laude poli.
Sed tamen hora vetat me iam coniungere laudes
Illius, aut matris commemorare decus.
Quae sic faeminei laus est & gloria caetus,
Ut Venus est nitidi gloria lausq; poli.
Sed breuibus Sponsi saltem memorabo parentem,
(O si Heros terris iam foret ille super)
Qui reliquos inter ceu sidus amabile fulgens,
Viuere perpetuo tempore dignus erat.
Illo nam melior quis? vel quis amantior equi?
Quis pietate prior? quis bonitate fuit?
Cuncta ipsum verè decorabant nomina laudum,
Nobilis in vita quae vir habere potest.
Iusticia cultor, niuei candoris amator,
Et verè custos integritatis erat.
Ardens quid referam studium virtutis auita?
Quid placidos mores, ingeniumq; sagax?

Quid

414

Quid mentem plenam comis grauitatis amore?
Quid pectus casta sobrietatis amans?
Deniq; quid lingua dotes, animumq; potentem
Prudenti rerum cognitione, canam?
Consilium illius, studiumq; in rebus agendis,
AVGVSTVM, constat saepe probasse, Ducem.
Singula quid referam? studio quo fouerit Artes,
Vix Elegis videor dicere posse meis.
Non tulit Heroas Germani moris amantes,
Qui procul à studijs esse virile putant.
Sed (decus Aonijs quoniam perspexerat horti,
Et bona Pegaseis quanta vehantur aquis.)
Ipse quoq; ad prisca doctrinam stemmata gentis
Coniunxit, studijs incubuitq; bonis.
Quam sacer hinc fuerit Musis felixq; patronus,
Vt taceam, notum hoc Vesper & Ortus habent.
Saepe atq; alios memini celebrare loquendo,
Saepe meum memini commemorare patrem.
Salue sancte senex, tua molliter ossa quiescant,
Salue, & perpetuum, sed rediuiue, vale.
AST redeo vnde fui primò digressus, & ad te
Conuerto numeros, inclyte Sponse, meos.
Salue tantorum sanguis generose parentum,
Brandstenia salue gemma corusca domus.
Te puerum roseo conspexit Iuppiter ore,
Inq; suo fouit docta Minerua sinu.
Ad cunas Dryades, Charitesq; & dexter Apollo
Carmina dulcisonis concinnare modis
Aonides manibus te gestauere tenellum,
Et sese cunctis applicuere modis.
Vt pueri excolerent caelesti pectore dignum
Ingenium, ut patrio dignus honore fores.

A ij Hinc

Hinc in te patria viuit pietatis imago,
Hinc decorat mentem lingua diserta tuam.
Hinc pectus supra tendens mediocria virtus
Hinc animo, & morum gratia suavis inest
Felix quem veterum nomen commendat auorum,
Euehit aut prisca nobilitatis honos.
Aut cui virtutis laus atq; scientia rerum
Præclara altarum nomina magna dedit:
Non hic terreno sine numine nascitur orbi,
Deue hominum tantum sanguine stemma trahit.
Clara sed è summo ducens primordia cælo,
Ceu Deus in terris iura dat, atq; viget.
Sed tamen egregijs quicunq; parentibus ortus,
Excoluit studijs pectora docta bonis.
Sic alios tantum taclantes stemmata vincit:
Ut vincit rutili Lucifer astra poli.
Ergo tuum quis nam nomen laudesq; decusq;
Pro meritis versu, Sponse, referre velit?
Qui licet es magnus, titulis, & clarus auitis,
Pectoris ingeminas nobilitate genus.
Perge tuis animo iuuenis sublimior annis,
Spes matris, fratrum nobile, perge, decus.
Et quia defuncti nomen commune parentis,
Ut cumules olim facta paterna, refers:
Maeste animo, tanti mensuram nominis imple,
Hoc erit excelsæ nobilitatis opus.
Sic patrem æquabis, quem virtus addidit astris,
Sic abauos vinces, sic atavosq; tuos.
Deniq; sic magnum tua laus transcendet Olympum,
Brandstenioq; orbis nomine plenus erit.
Sed sunt & Sponse sua carmina danda pudicæ,
Quæ castæ laudes virginitalis habet.

Et

Et teneros varijs superans virtutibus annos,
Amplificat generis nomina clara sui.
Nobilis en casto pietas est mixta pudori,
Hic sequitur dominam fides ubiq; suam.
Nec tantum in puro lucet Carbunculus auro:
Quantum hac in sola virgine iuncta nitent.
Hac duo cum videas igitur, quid, Sponse, requiris?
An pulcrum, blando quæris in ore decus?
Hei mihi cuncta tuis respondent munera votis,
Nam tua nec forma Sponsa decente caret.
Ore Venus pulcro: claro sed stemmate Iuno:
Ast vincit reliquas arte Minerua Deas:
Sed maiora refert cælesti munere Sponsa,
His data nam quæ sunt singula, cuncta tenet.
Nam forma Venerem, Iunonem stemmate claro,
Arte sed excellit Pallada, sola, sacram.
Certum est Pelignum vatem si nacta fuisset,
Non hac in terris notior vlla foret.
Nil foret Andromede, foret & nil candida Ithube,
Illarum quamuis optima forma fuit.
Nam placidos gestus, vultus nam cerne modestos,
Quis neget hac casta mentis habere notas?
Tres olim Charites veteres finxere: sed illi
Vno plus Charites lumine mille sedent.
Illius ex oculis accendit tela Cupido,
Tela hæc quæ flamma causa fuere tua.
Singula quid recitem? nihil est inamabile membris,
Omnia purpureo tineta decore nitent.
Adde quod est forma non dispar nomen honesta,
Nam latio turrim, Magdalis, ore, notat.
Iam velut adijciunt turres decus urbibus alta
Adijciet domui sic decus illa tua.

Ergo


Non
Vno plus Charites lumine mille sedent,
Illius ex oculis accendit tela Cupido,
Tela hæc quæ flamma causa fuere tua.
Singula quid recitem? nihil est inamabile membris,
Omnia purpureo tineta decore nitent.

Ergò tuam flagrans age, Sponse, amplectere Sponsam,
Ferreus es si non hoc caput & cor amas.
Gaudia quid differs? quin blanda tot oscula fige,
Quot nostrum cernis carmen habere notas.
Ætas dum floret, viridi indulgete iuventa,
Nodus & Herculeus pectora vestra liget.
Floreat aternos thalamus sic vester in annos:
Leta velut Veris tempore floret humus.
Sapè renascentes pulcris vos cernite natis,
Qui celsa magnos mente sequantur auos.
Vos circum felix ponat Concordia sedem,
Hac sine nam lectus nil nisi luctus erit.
Ac velut adiuncta comes est arteria vena,
Sanguinis hac riuos, illa vigoris agit:
Sic duo corporibus, sed sitis mentibus unum,
Sanguis et tu sis: vita sit illa tibi.
Quin Magnes ceu se Borealem vertit ad Arcton:
Sic verte ad Sponsam te quoq;, Sponse, tuam.
Et veluti Clytie sequitur flos lumina Solis:
Sic Sponsi nutum, Sponsa, sequare, tui.
Deniq; sic terris, vt post viuatis Olympo,
Viuite, vbi plausus non modus vllus erit.
Hac votis mecum sinceri pectoris optat
Patria iam vobis tota: Valete diu.

F I N I S.

Ha 3535 AK

AT



B.I.G.

Farbkarte #13

Black 3/Color White Magenta Red Yellow Green Cyan Blue

Brandenstein

Za
3535

THALAMION
NOREMNV
ANTIQA VIRTV
doctrina, & eruditione præ
SMVNDI à BRANDEN-
ck &c. Et Nobilissima & castissi-
GDALENÆ, filia Nobilissimi
ntia & fortitudine præstantis D.
l ab HEINITZ in Rötzsch-
ustæ gratulationis & grati-
nis ergo scriptum

à
MONE LOR
no Uydraënsi.



ypis Clementis Schleich.
O M D. LXXXI.

(x200 7569)

Ornatissim
doctissimo
H. m. b.